


IN FUNERE

VICTORII EMMANUELIS PRIMI

SARDINIAE CYPRI ET JERUSALEM REGIS

SABAUDIAE, GENUAEQUE DUCIS, AC PEDEMONTII PRINCIPIS

etc. etc. etc.

Oratio

HABITA IN SACELLO VATICANO

DIE VIII. JULII AN. 1824.

AD SANCTISSIMUM DOMINUM NOSTRUM

LEONEM XII.

PONTIFICEM MAXIMUM

AB ALOYSIO AMAT E MARCHIONIBUS SANCTI PHILIPPI


SANCTITATIS SUAE PRAELATO DOMESTICO

UTRIUSQUE SIGNATURAE REFERENDARIO

PROTONOTARIO, ET BENEVENTANAE PRIMUM, SPOLETINAE DEINDE ET UNA SIMUL REATINAE

DELEGATIONI APOSTOLICAE PRAEFECTO


PRIMATIALIS ECCLESIAE CALARITANAE CANONICO



PISAURI MDCCCXXV.

Typis Nobilianis

Praesidum permissu



CAROLO FELICI PRIMO

SARDINIAE CYPRI ET JERUSALEM REGI

ETC. ETC. ETC.

Aloysius Amat e Marchionibus Sancti Philippi

Quod erat in votis, ut aliquando mihi aperiretur aditus explicandi Majestati Tuae obsequentissimi animi studium, hoc mihi beneficio Summi Pontificis indulgentissimo concessum fuisse gratulabar. Adversa tamen fortuna sentio id mihi contigisse eo tempore, quo dubitarem, ne magis mihi dolendum, quam gratulandum esset. Agendum enim èrat in communi bonorum omnium luctu de amarissimo VICTORII EMMANUELIS *fato, quo nobis ereptum principem lamentabamur tot virtutibus, totque*

egregie et fortiter factis, quam qui maxime gloriosum. Parui tamen humillime non sine grati animi significatione nutui honorificentissimo, quo vocabar ad onus humeris plane meis summopere gravius. Utinam mihi suppeteret tantum facultatis, quantum voluntatis, quo demortuum regem fraterna tibi charitate devinctissimum possem parentali laudatione celebrare! Fateor autem apertissime, me timuisse in hac elucubranda, tibique nuncupanda, ne recordatione augustissimi fratris in Te recrudesceret vulnus tanta doloris acerbitate in imo pectoris infixum. Sed reputabam insimul animo, quod cum Ille cuncta auctoritatis jura, et amplissimae dignitatis majestatem tibi lubens, volensque cesserit, mirifice consuluit rerum publicarum felicitati, tuaeque laudi, et commendationi aeternae. Suscepi igitur oratoris partes licet arduas, meisque viribus impares, fretus non modica spe facile futurum, ut humanitate, ingenitaque naturae comitate, qua merito apud omnes celebraris, si minus in scribendo attulissem ingenii, et eloquentiae, obsequentissimi saltem animi studium probavisses. Excipe igitur consueta benignitate, Princeps Clementissime, quaecumque ea sit, lucubrationem faustissimo tuo nomini jure optimoque merito sacram. Tu enim divino prorsus consilio ab eodem ipso evocatus, et constitutus, ut sartam rerum publicarum navem in tuto poneres et scite gubernares, non regni tantum, sed virtutum haeres, et gloriae evasisti, et apud omnes publica commendatione jure maximo donaris.

Illud unum superest, ut fervida ad Deum optimum maximum vota enixius repetam pro incolumi et sospite Majestatis Tuae valetudine in qua, post Supremum mundi Rectorem, subditorum salus continetur, quos inter addictissimum tui me semper, semperque habeas velim.



Sedebit in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciae, in requie opulenta.
Isaiae 32. 18.

Libenti equidem, et pergrato animo, Beatissime Pater, oraculo tuae auctoritatis indulgentissimo ad onus mihi impositum et grave, et salebrosum, viribus licet impar, obsequuturus accedo. Persolvenda sunt enim mihi hodierna die coram Te in hoc amplissimo loco suprema funeris officia augustissimo Victorio Emmanueli Primo Sardiniae Regi, quem vehementissime boni omnes moerent amara morte sublatum. Poteramne tot a te muneribus auctus a clementissima tua voluntate desciscere, quin mihi vel minus obsequiosi, vel minus grati animi nota jure

meritoque optimo inureretur? Poteramne ab oblata licet luctuosa opportunitate declinare celebrandi laudes, et gesta immortalia tanti regis, qui temporibus vel maxime adversis et patriam mihi servavit incolumem, et regnum universum mira prudentia, singulari consilio et invicta virtute faustissime eripuit ab excidio, ab internecione a rapinis? Parebo igitur qua ratione potero honorificentissimo, quo me decoratum esse voluisti mandato, et obsequentissimi subditi partes aliquo modo sustinere conabor. Illud me quammaxime recreat, atque in spem erigit, quod in re tanti momenti quae proferam pro tua clementia excepturum spero benigne. Agendum est enim de singularibus meritis illius Principis, qui regale solium ornavit omni virtutum genere, qui subditorum animos fide, justitia, religione sibi devinxit, qui populorum, quibus praeerat, felicitati solertissime et consultissime prospexit.

Ut autem oratio quodam ordine, et perspicuitate quadam incedat, tria Victorii Emmanuelis vitae tempora sigillatim aperiam. Primo, cum nullo regni implicatus negotio privati principis vitam exegit; secundo, cum altissimae providentiae decreto regni suscepit habenas: tertio denique, cum magni virilisque animi motu tactus cessit ab imperio, et heroica fortitudine solium rejecit. Privatus Princeps vixit in pulchritudine pacis, Rex habitavit in tabernaculis fiduciae: corona denique sponte sua, et maturo consilio deposita in tranquillitate opulenta requievit.

Ut imaginem aliquam virtutum, ac meritorum Victorii Emmanuelis instituam, facile praetermittam primordia illa, quibus quasi quibusdam gradibus ad tantam virtutem tanta omnium admiratione processit. Praetermittam pariter quod in ejus procreatione Victorius Amedeus tertius cum lectissima coniuge Maria Antonia Hispaniarum infante, in venas ipsius triginta quatuor principum tum rerum praeclare gestarum gloria, tum armis, tum pietate, tum morum sanctitate illustrium, sanguinem transfuderit. Sed parum est me hoc meminisse, non semper enim

ad generis nobilitatem, et majorum gloriam actiones hominum conformantur, nec quotidie proverbium, quod fortes creantur fortibus, et bonis, comprobatur. Parum est etiam meminisse providam institutionem a majoribus acceptam ac omnes illas virtutes, atque disciplinas, quibus regia proles tenella aetate ad humanitatem, animique magnitudinem imbui, et informari solet. Illa tantum recensebo, quae ab una libera voluntate profecta, alacri ingenio exculta, animique dotibus illustrata germanam summi principis personam constituunt, eique amorem, et obsequium publicum conciliant. Hinc ab adolescentia de illecebris deliciarum, de voluptatibus, et vitiis, de otio, et fastu triumphans temperantiam, continentiam, humanitatem summopere coluit. Quid dicam de morum puritate, qua semper excelluit, quid de litterarum et scientiarum cultu, quid de religionis, in qua summa virtutum omnium continetur, vigilantissimo studio? Imbutus quo sane fuerat a teneris unguiculis maternae pietatis lacte hanc semper retinuit, hac duce adolescentiam aluit, et in omni vitae ratione usque ad interitum ita excoluit, ut quidquid religionis esset ipse in primis semper sanctum, semper habuerit inviolabile.

Trigesimum aetatis annum expleverat, cum auspicato conjugem sibi duxit animi dotibus, et purissimis moribus praestantissimam, quam Deus sospitem servet, Mariam Theresiam Austriae Archiducissam, consilio et impulso Regis Caroli Emmanuelis ejus fratris, qui prole carebat. Benedictionibus benedixit eum Deus Abraham. Difficile dictu est quantum contulerit operis et studii in educandis, quos procreaverat, genitis, quantum in efformando eorum spiritu elaboraverit. Ipsemet edocebat natos non fortunae et sanguini regio, sed uni omnipotenti bonorum omnium largitori deberi omnia, quae in ortu suo sortiti fuerint praemia. Declarabat apertissime principes referre imaginem supremi numinis et idcirco clementiam, et iustitiam ejus imitari debere, nunquam vero superiori aucto-

ritate abuti vel potentia, superbiam et fastum regiae conditionis a stirpe sua penitus ejectum decernebat. Hujus vero mundi speciem ostendebat cereae eorum menti ceu nitrum sulphureum, et tanquam ignes errantes, qui fugaciter signato vestigio lucis nil aliud post se relinquunt, quam gravem odorem, pallentem umbram, pellucidam erroris cognitionem. Hac equidem institutione comparare curabat tempora felicia populis, quibus praeesse posset regia proles. Quae cum ita sint, in dubium revocari nequit, quin Victorius Emmanuel sibi constans in virtute recolenda, et assequenda pacis pulchritudine, quievisset non modo, sed eamdem etiam in perennem natorum suorum, si superessent, haereditatem transmisisset. Quid itaque boni sperandum fuerit de Principe tam religioso, tam sagaci, tam consulto nemo non videt. Ea erat conditio temporum ut quae videbantur adamante firmiora continuo ruerent, ut nova consurgerent. Quam incomprehensibilia sunt inscrutabilis aeternae providentiae judicia! illico factum fuit, ut qui in pulchritudine pacis vivebat, regale ad solium evocaretur. Tempestas illa advenerat infaustissima, in qua cuncta per universam pene Europam in praeceps erumpebant, eversura quidquid experientia, et consilium, leges et instituta majorum providentissime populorum felicitati praestiterant ad mores componendos, ad comprimenda delicta, ad religionis jura, et decreta civiliter vindicanda. Carolus Emmanuel Quartus quamqui maxime praestantissimus, ab Augusta Taurinensi Sede violentissima irruptione deturbatur, Sardiniae regnum illico subiturus: eam nempe regionem ab insidiis hostium insigni consilio servarat incolumem. Victorio interim detulerat Carolus imperium regni sospitis ab astu, et armis, quae tunc temporis ubique ingruebant felicioribus auspiciis, et ecce qui in pulchritudine pacis vixerat, ad tabernacula fiduciae confugere debuit.

Inconcussa veritas est, quidquid in contrarium blateretur, reges imaginem Dei repraesentare. Nulli dubium, quod eo ma-

gis exprimant illam, quo plus ingenio, alacritate, consilio, religione praesertim floreant: quare mirum non est, si qui dat, et tollit imperia arbitrio suo, ita prospexit rebus Victorii Emmanuelis, ut in summa rerum difficultate ad exitum felicem cuncta deduxerit. Adscitis in imperium cooperatoribus eximiis zelo, pietate, dexteritate, praefectis ubique locorum magistratibus optimis, consultis viris in unaquaque facultate, et singulari abstinentia spectatissimis, ita sibi, populoque suo consuluit, ut publica salus assurgeret, ubi ad ruinam properabatur. Hinc merito in Victorium Emmanuelem oculorum aciem Altissimus intendit, et ad regiam evexit potestatem. Primum itaque coepit operam navare, ut justitiae amor cum summo justitiae jure conjungeretur, quoniam juxta cor suum nunquam fuere, qui sapientiae studium cum religionis studio non copulassent. Nec favores, nec artes apud eum ad decernendum praevaluere, quin imo consulturus populi, qua fieri potest, felicitati, quam saepissime consiliis praeerat, publicis intererat negotiis, ministrorum arbitria continebat, quidquid esset subditis utilitati vindicabat; pluries quoque e stabili sede decedens varias lustrabat regni partes, ut suis ipse videret oculis, et manibus tangeret quaecumque agerentur, undique abacta auri fame, et corruptione ubicumque compressa vel expuncta.

Neque solum de justitia rite administranda sollicitus, eo quo pollebat ingenii acumine, et zelo religionis uniuscujusque temporibus occurrebat, sed animo indulgentissimo, et alacritate paterna praesto erat cunctis ad se confugientibus, qui vel patrocinium in adversis, vel opem in calamitatibus exposcerent. Comiter enim, liberaliterque cunctos adeuntes excipiebat, erigens illos ad aperiendos eorum animos, ut cognita rerum expositarum veritate, eosdem sublevaret. Vos, vos appello egentes, ac inopes, qui patrem liberalissimum in Victorio Emmanuele toties invenistis. Vos, vos appello, famelici, quos munificentissime aluit: vos nudi, quos abunde cooperuit: vos jacentes, quos roboravit;

vos afflicti ac laborantes, quos amantissime recreavit. Noscebat ipse quidem nil aliud utilius esse, quam mutuus amor inter subditos, et principem; noscebat quantum suavitas in vultu regio publicam benevolentiam rapiat; dulces propterea, suavesque modos ita in omnes adhibuit, ut quampluries aut non agnoscere, aut despicere, ac pro nihilo putare regalem dignitatem videretur. Neque tamen humanissima ejus facilitas quidpiam supremae dignitatis imminuit. Ita enim Victorius altissimi gradus eminentiam, et sublimem potestatem temperavit, ut amorem populi universi sibi devinxerit, quin aliquid detrimenti regia majestas pateretur, vel justitiae jura violarentur. Animadvertendum erat in criminis reos? severitatem legum in istos applicandam vel invitus decernebat, neque unquam judicum sententiis obstitit, eo consilio, ut improborum audacia reprimeretur, et crimina lato legis rigore averterentur. Virtutis praemio ad bene agendum alliciebat, formidine poenae deterrebat a scelere. Noverat enim nunquam stetisse imperia sine religione, et moribus, sine fide, et honestate. Illud profecto notandum, quod princeps tanta mansuetudine, tanta morum suavitate clarus robur aliquando invictum exerceret, et tantam in re militari scientiam explicaret. Copias avito more ad virtutem comparatas, et eximia disciplina institutas habuit in deliciis; quare vigilantissime consuluit honestae inter militantes aemulationi, praemiis et decorationibus auxit quoscumque integritas vitae, ingenii vis, et in arte bellica singulare fortitudinis decus extulisset. Aerarium semel, et iterum injuria temporum penitus exhaustum consilio, abstinentia, et moderatione abunde reparavit. De religione quam qui maxime sollicitus reseravit templa, monasticos ordines restituit, ecclesiis reditibus et pastoribus viduatis munificentissime prospexit, resque omnes brevi temporis intervallo ita composuit, ut amplificatis longe lateque propriae ditionis finibus, Victorius Emmanuel videretur princeps in orbe fortunatior.

Verum proh miseram hominum conditionem! proh lacryma-

biles imperiorum, et imperantum vicissitudines! Serpuit occulte maligna quaedam rerum novandarum febris, quae subito, ceu vulcanus erumpens, invasit animos audentiores, quos ambitio, luxuries, et æris amor cum perniciosissimo pravae libertatis aestu ab honestatis, et justitiae tramite abstraxerant, et illico impetu facto subditi aberrantes in dominum, ingrati filii in patrem amantissimum irrumpunt, legem dicturi proprio, legitimoque legislatori. Invariabili semper animo sibi constans immortalis regius heros ne minimum quidem a summa, qua praestabat, moderatione, et tranquillitate, quae nunquam e religioso, fortique viro sejungitur, ullo modo deflexit; imperterritos accedentum vultus ore sereno respiciens eorum vota seu potius querelas imperturbatus accepit, et quo magis increbuerat illorum audacia, eo magis inaudita mansuetudine Victorius studebat eosdem revocare ab incepto, quin aliquid proficeret. Tunc vero, quoniam res eo deducta erat, ita ut capere consilium necesse esset, quin officio deficeret suo, quin pactam cum potentioribus Europaé foederatis fidem violaret, quin in perduellium infidelitatem, et in legionum, quae defecerant, nefariam proditionem animadverteret, ultionis nescius, regale solium, quod tantis virtutibus ornaverat, novo generositatis exemplo tranquillissime abdicavit, et summam rerum omnium cum regia potestate transtulit in augustum fratrem Carolum Felicem. Quid moderatius, quid prudentius, quid opportunius excogitari poterat ad vitandam civilis sanguinis effusionem, ad prospiciendum in tanta temporis difficultate publicae quieti et fortunae? Cessit itaque Taurino, et tanquam privatus Nicaeam contendit. Divinae providentiae praesidio in fiduciae tabernaculis semper et ubique sibi constans, cum primum a tot tempestatum turbine, et fluctibus usque ingruentibus se cognovit ereptum, in Domino laetabatur tandem eo pervenisse, ut in opulenta sede conquiescere posset.

Non deerunt fortasse in tanta blaterantium frequentia, qui aliorum facta licet pulcherrima proprio marte judicantes, magni-

tudinem animi, qua Victorius alterum vitae genus procul a solio sibi ineundum proposuit sinistra interpretatione audent reprehendere vel etiam condemnare: non temere sed consulto, non coacte sed libera voluntate, non partis alicujus studio sed maturata consideratione fecit, quod in admirationem rapiat omnem posteritatem. Cum vero opulentiam in nova sedis statione nomino, non illam intelligo quae nunquam deficere potest in principe vel throno carente: vere opulentum intelligo illum, qui posthabito rerum caducarum amore opulentia gaudere nititur, quae coalescit rore coeli et spiritu principali amplificatur. Assueverat ab incunabulis religionis prope dicam alitu sese ad evangelicas virtutes componere. Hac duce tum in prospera cum in adversa fortuna, tum inter bellica castra tum in otio pacis nunquam destitit a catholicae pietatis operibus, nunquam a fervore declinavit quo res sacras et orthodoxae fidei instituta promoveret ac strenuissime tueretur; nihil aggrediebatur praesertim magnum et difficile nisi praemissis ad Deum precibus enixis, incruento quotidie intererat sacrificio, Eucharistico Pane quamsaepe reficiebatur, libros ad fovendum pietatis ardorem consulebat avidissime, acriori auctoritate et zelo invicto male de religione et legibus ecclesiasticis opinantes repressit, ne grex evangelicus in suis praecipue finibus ad venenosa pascua diverteretur.

Haec inter severae pietatis exercitia et sacram virtuosissimi otii tranquillitatem nunquam dimotus a constantissimo consilio, quo privatae vitae rationem sibi sponte et libere proposuerat, nullo modo indulgendum putavit iteratis vehementibusque votis, quibus ad regalem solium rebus in pristinum restitutis avidissime a populo ejusque amantissimo successore non sine bonorum omnium plausu revocabatur. Hinc ad tollendam omnem revocantium spem, singulari ac plane paterno, quo in regias filias amore ferebatur, censuit adire Mutinam deinde Lucam, ut earum consuetudine, et amplexibus uteretur. Difficile dictu est quantum admirationis et benevolentiae in se excitaverit, imo

vero semper converterit, quocumque locorum pervenerit. Circumfluebant omnes inspecturi, potius dicam veneraturi heroem antiquae virtutis magnanimum, pium, beneficentissimum. Absolutis itaque omnibus paternae in natas charitatis officiis in Galliam Subalpinam se recepit, reliquum vitae tempus in magnifica itemque amoenissima Calerii Montis arce procul a negotiis omnibus in religiosa pace exacturus.

Verum non multo post coepit valetudine ingravescere, et lento quidem sed morboso jecoris incommodo laborare; tum vero enixius religionis ope implorata, et repetita vel Poenitentiae, vel Eucharistiae sacramentorum perceptione, deprecatus etiam, ut si quas ulli offensiones obtulisset, ignosceret, in tabernaculis divinae fiduciae requievit. At, Victori Emmanuel, satis vixisti si non ad vitae naturalis cursum, et prosperam vicissitudinum fortunam, satis ad virtutem et immortalem gloriam aevum traduxisti. Quantum mors vitae, felicitati fortuna detraxit, tantum supernae, ut meus auguratur animus, addidit ei praemio in coelis sempiterno. Illud autem in tanto funere Victorii Emmanuelis acerbissimo nos quodammodo reficit ac recreat, quod in providentissimo rege Carolo Felice parentem alterum aeque pium, prudentem, moderatum et munificum sortiti sumus, quem Deus O. M. diutissime servet incolumem et sospitem ad universi populi sibi commissi felicitatem et incrementum.

